



misc. 1, 6<sup>n</sup>.

1, 63

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100



Q. D. B. V. I! 10

22

NONNULLA  
DE  
**CIRCUMCISIONE  
SEGMENTA,**

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE, ATQVE DOMINO,

**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
ELECTORAT. SAXON. HEREDE, ETC. ETC.

*PRAESIDE*

**GOTTLIEB VVERNSDORFIO,**  
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. TEMPLO  
CATHEDR. O.O. SS. PRÆPOSITO, ET ALVMN.  
SAXO-ELECTOR. EPHORO,

IPSI NONIS JANUARIIS A. R. S.  
c1o 1o C C XI

*E DIVI LVTHERI CATHEDRA  
AD DISPVTANDUM PROPONET*

**PAULUS JOANNES BUCHHOLTZ,**  
RIGA-LIVONUS.

---

VITEMBERGAE PRELO G. DESIANO.

1782

NOVEMBER

CIRCUMCISIONE  
SEMPER

Rectore Academiæ Magnificentiſſimo,  
Sereniſſimo Princeps & Domino

DN. FRIDERICO AUGUSTO  
RECTORAL. SAXON. HERED. ETC. ETC.

PRÆSIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO,  
S. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. TEMPLI  
CATHEDR. OO. SS. PRÆPOSITO. ET ALAMN.  
SAXO-ELECTOR. EPISCOPO.

1782 NOVIS JANUARIIS A. R. S.  
1782 CXXI

E DIVINI LITÆRÆ CATHEDRÆ  
AD DISPUTANDUM PROPOSET

PALLIUS JOANNES BUCHHOLTZ  
RIGA-PRÆPOSITUS

VITIMBERGÆ TYPIS & CÆLÆNO.





Uli hoc tempore quendam Profelytorum  
Baptismum statuunt, hi cum alia multa  
sua pro sententia afferunt, tum hoc  
potissimum urgent, necessario eum ad-  
hibendum fuisse, quod, præter Judæos  
multæ gentes aliæ, *Ammonitæ, Moabitæ,  
Colcbi, Agyptii, Aethiopes, Idumæi,  
Pbœnices, Syri*, Circumcisionis ritum coluerint, quibus adeo,  
præter Baptismum, nihil reliquum fuerit, cujus beneficio sub  
alas Majestatis divinæ colligi, sacrisque Judæorum initiari, po-  
tuerint. Quæ sicut non sine quadam probabilitatis specie dispu-  
tantur, quod, Circumcisionem aliis quoque populis receptam  
fuisse, multi Scriptorum, iique auctoritate graves, memorant;  
sic fateor, isti me argumento nonnihil roboris initio tribuisse.  
Sed enim parum abest, quin meæ me credulitatis pœniteat,  
postquam, Scripturæ locis cum profanæ historiæ testimoniis  
collatis, inveni, Circumcisionis ritum, si res recte examinetur,  
Ebræorum gentem cum aliis nationibus communem non  
habuisse. Ac initio quidem constitutum habebam cum ani-  
mo, inveteratum errorem aque judicantium animis ea in  
Dissertatione evellere, quam nuper admodum de *Baptismi  
Christianorum Origine mere divina*, adversus fautores Bapt.  
Profelytorum conscripsi. Sed enim in ipso cum opere ver-  
sarer, deprehendi, gravius illud, ac prolixius esse, quam quod  
in ea chartarum angustia, in quam t. t. incideram, expediri  
pro dignitate possit. Peculiari ergo Dissertationi caput hoc re-  
servavi, & quoniam superioribus diebus, ipsisque adeo Calen-  
dis Januariis, quas Deus immortalis per Filii sui sanguinem,  
in Circumcisione profusum, nobis omnibus auspiciatissimas  
illuxisse jubeat! multus fuit in Ecclesiis sermo, de *Circumci-  
sione* Liberatis nostri, accommodabo me tempori, & dispu-  
tandi gratia quædam de ritu *Circumcisionis* vel *Segmenta*, vel  
*hypomnemata*, proponam. Deus institutum fortunet.

## ASSERTIO I.

Circumcisio nec ab Ægyptiis, nec  
ab alia quadam gente, ad Israeliticam  
dimanavit.

## §. I.

**E**braeos Circumcisionem ab Ægyptiis, qui primi omnium  
præputia posuerint, accepisse, tradit *Herodotus Halicar-*  
*nassensis*, in Euterpe, vel hist. Lib. II, cap. 36. fol. 103. edit. Aubr.  
Τὰ αἰδοῖα, inquit, ἄλλοι μὲν ἑῶσι ὡς ἐγένοντο, πλὴν, ὅσοι  
ἀπὸ τῶν ἑμοῦθον Ἀιγύπτιοι δὲ περιτάμνονται, h. e. ut  
Stephanus reddidit: *Virilia alii talia relinquunt, qualia na-*  
*tura sunt, præter eos, NB. qui ab istis didicerunt: Ægyptiū*  
*circumcidunt.* Et cap. CIII. fol. 127. Μῆνοι πάντων ἀνθρώπων  
Κόλχοι, ἔ, Αἰγύπτιοι, ἔ, Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ' ἀρ-  
χῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ, ἔ, Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ,  
ἔ, αὐτοὶ ὁμολογεῖσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαρτημέναι, *soli*  
*omnium hominum Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes, ab initio sta-*  
*tim, pudenda circumcidunt.* Nam & Phœnices, & Syrii, qui  
sunt in Palestina, didicisse id ab Ægyptiis & ipsi confitentur.

§. II. Idem tradit *Diodorus Siculus*, in Biblioth. L. I. p. 171.

Postquam enim Judæos, & Colchos, ab Ægyptiis descendere  
commemorarat, continuo subjicit: Διὸ ἔ, παρὰ τοῖς γένεσι  
τῶν ἐν παλαιῇ περαδεδοῦσιν τὸ περιτέμνει τῶν γεννω-  
μένους παύδας, ἐξ Αἰγύπτου μετενηνεγμένους τῶ νομίμους i. e.  
ideoque gentibus illis, ex antiqua traditione in usu est, ut cir-  
cumcidant, statim a partu, pueros, ritu ab Ægyptiis derivato.

§. III. Idem sat audacter statuit *Celsus*, apud Origenem  
ρίζῃ ἔ μὴν ἀγιώτεροι τῶν ἄλλων ἀνῆεν οἱ Ἰσραῖτις, ὅτι περι-  
τέμνονται. Τῶτο γὰρ Αἰγύπτιοι, ἔ, Κόλχοι πρότεροι, nec  
ideo sanctiores sunt ceteris Judæi, quia circumciduntur: hoc  
enim priores fecerunt Colchi, & Ægyptii &c.

## §. IV.

§. IV. *Sanchuniatbo*, vetustissimus rerum Phoeniciarum scriptor, apud *Euseb.* de Præpar. Evangel. L. I. p. 38. ab Illo, quem Saturnum, & Abrahami temporibus priorem fuisse dicunt, ritum circumcisionis derivat. *Julianus* etiam Abrahamum, Isaacum, & Jacobum, hunc præputii secandi morem, e plurimo cum Ægyptiis commercio, didicisse refert, apud *Cyrrillum c. Julianum*.

§. V. Etsi vero *Hugo Menardus in Not. ad Epist. Barnabe p. 151.* a nemine Christiano id assertum iri, existimet, non defuerunt tamen quidam, inter nomen Christianum professos, isti qui adstipularentur sententia.

§. VI. Non alienus ab ea est, Vir cetera eruditissimus, *Jo. Marshamus*, Eques Anglus in *Canone Chron. Seculo V. f. 74-75.* ubi testimoniis veterum undique conquisitis, admistis etiam alicubi cavillationibus, ostendere conatur, Circumcisionis originem Ægyptiis deberi.

§. VII. Prolixius hanc sententiam *Jo. Spencerus* Theol. Doct. & Eccl. Eliensis apud Cantabrig. præfectus *L. I. de Leg. Ebr. ritual. c. 4. sect. 4. f. 47. sq. ed. Cantabrig.* persequitur, etsi affectata quadam, ne subdola dicam, modestia videri nolit aliquid definire, sed allatis utriusque partis argumentis rem omnem in medio, incertoque relinquere.

§. VIII. Contra vero *Rich. Montacutius*, Norvicensis in Anglia Episcopus, in *Origin. Eccles. P. I. §. 48. sq. pag. 53. sq.* jam ante utrumque, & Marshamum, & Spencerum, magnas sibi habere visus est causas, ob quas nefas putet, sanctissimam ceremoniam ab Ægyptiis derivare, quibus etiam, quotquot meliorum sunt partium, recte, meritoque adstipulantur.

§. IX. Primo enim 1.) *Herodoti*, *Juliani*, *Spenceri*, aliorumque opinio contrariatur Scripturis, quod mox ostendetur, quarum vero auctoritas hominibus vere Christianis plu-

ris haberi debet, quam omnium profanorum scriptorum, si vel maximus se proderet, dissensus.

2.) Nondum ostensum fuit, Ægyptios Circumcisionem eo modo, quo usitata fuit Israelitis, & ita, ut totam nationem ritus pervaserit, receptam fuisse, quod infra demonstrabimus.

3.) Si vel maxime hunc ritum coluissent Ægyptii, & ante Abrahamum etiam coluissent, non tamen credibile est, sanctissimum Numen ab invisis sibi hominibus gratiæ suæ tesseras, & obsignacula, petere voluisse. Comparetur *Basnagius Exerc. hist. Crit. p. 117. sq.* cui minime probabile videtur, quod vel Abrahamum invisæ gentis imitandæ libido invaserit, vel Deus in Sacramenti hujus institutione ritum aliquem ab idololatriæ mutuari voluerit.

4.) In quacunque gente, ante institutionem Domini, obtinuit Circumcisio; in eadem habuit sese instar, ἐθελοθρησκείας. Per revelationem enim divinam Ægyptios habuisse non legitur. Nec recta ratio tale quid suggerit. Fuit igitur institutum mere humanum. Constat autem, quanto ardore, quantaque contentione, Dominus fictitiis religionibus se nunquam non opposuerit, quam serio, quamque constanter easdem improbarit. Quis igitur arbitretur, Deum invisissimæ sibi superstitionis particulam in religionis sanctissimæ, si-bique placituræ, caput asciscere voluisse?

5.) Quid? quod Deus subinde in Scripturis graviter in Israelitas invehitur, quod exterorum gentium sacra intolerabili κακοζηλίᾳ imitarentur. Quod si Deus ipse in foedere pangendo ritus Ægyptios servavit, quo jure id reprehendere potuit in Israelitis, cujus ipse dederat exemplum?

§. X. His ego rationibus inducor, ut statuam, magno in errore versari, qui ab Ægyptiis Ebræorum sacra, & in his Circumcisionem, derivant. Nec habent, quo se tueantur Dissidentes, præter unius, & item alterius, profani scriptoris testimo-



testimonium. De quibus tamen initio 1.) generatim monemus, quod Græcis, juxta & Latinis, parum certi de rebus Judaicis innotuerit. Fidem rei faciet *Ecloga e Diodori L. XL. Dio L. XXXVII. Strabo L. XVI. & XVII. Justinus L. XXXVI, 2. Tacitus V. histor. cap. I. sq.* & alii, quos in enarrandis rebus Ebraicis foede lapsos fuisse constat.

§. XI. Queritur de eo *Fl. Josephus L. I. adv. App.* non multum ab initio. Ἕλληνες, inquit, μηδὲν βεβαίως εἰδότες συνέγραψαν ἅδι' ὡς ἔκαστοι περὶ τῶν πραγμάτων εἰνάζοντο, Græci nihil firmiter scientes conscribere, sed quod unusquisque opinatus est, hoc studuit explanare. Herodotum sigillatim, ab omnibus civibus suis, mendacii reum peragi, eodem in loco commemorat. Ἐφοροῦ μὲν Ἑλλάνικον ἐν τοῖς πλείστοις ψευδόμενον ἐπιδείκνυσσι, Ἐφορον δὲ Τίμαιου, ἢ Τίμαιον οἱ μὲν ἐκείνον γεγονότες, NB. Ἡρόδοτον δὲ πάντες, *Ephorus Hellenicum in plurimis ostendit esse mendacem, Ephorum vero Timæus, Timæum qui post illum fuisse, NB. Herodotum vero euncti.*

§. XII. Notandum deinceps 2.) quod sicut Ægyptia gens gloria vetustatis, & disciplina sacerdotum una omnium maxime floruit, siquidem ad illam Pythagoras quoque, Plato, Solon, Homerus, & alii, eruditionis gratia profecti, dogmata, in suam quisque patriam, retulerunt; sic Veteres, quicquid modo vel religionis, vel sapientiæ, in gentibus fuit, ab Ægyptiis derivarunt. Hinc *Dio L. XXXVII. c. 21. f. 42. ed. Steph.* quod dies ad VII. sidera referuntur, ab Ægyptiis ad omnes homines dimanasse scribit: & *Tacitus L. XI. Annal. c. 14.* eosdem per figuras animalium sensus mentis PRIMOS effinxisse, seque literarum inventores jactasse, perhibet. Quid igitur mirum, scriptores singularem quoque circumcidendendi ritum ab Ægyptiis derivasse?

§. XIII. Per-

§. XIII. Persvasum porro 3.) exteris Scriptoribus fuit, Israelitas descendere ab Ægyptiis. Ita enim *Strabo L. XVI. f. 379. ed. Basil. ἢ Φήμι Αἰγυπτίους ἀποφάσκει τὰς προγόνους τῶν νῦν Ἰσραήλων λεγομένων, fama perhibet, ab Ægyptiis fuisse prognatos eos, qui nunc Judæi appellantur.* Quod repetit *L. XVII. f. m. 951.* & hanc ipsam causam, receptæ ab Israelitis Circumcisionis, allegat. *Diodorus quoque Siculus L. I. p. 17.* prius quidem Colchos, & Judæos ab Ægyptiis propagatos, mox Circumcisionem ab iisdem, acceptam fuisse narrat. Uti vero prius est falsum, ita & posterius.

§. XIV. Denique 4.) in hoc ipso de Circumcisione argumento secum pugnant Scriptores. Alii enim, ut supra retulimus, eandem ab Ægyptiis accessunt, *Strabo* autem inter Mosaïca instituta refert, *L. XVI. f. 880.* Idem *Tacitus* facit. Exponens enim de moribus Ebræorum: *Circumcidere*, inquit, *genitalia NB. instituere, ut diversitate noscantur.* Mox eos corpora condere, non cremare, tradit, idque *e more Ægyptio*, quod ipsum uti prioribus non adjecit, sic eadem a traditione Ægyptiaca tacite exemit.

§. XV. Sigillatim 1.) *Herodotum*, cum *Rich. Montacutio*, eo in loco, quem supra dedimus, non unius mendacii postulo. Falsum quippe a) est, Ægyptios ἀπ' ἀρχῆς circumcisos fuisse. Fuit enim aliquando tempus, quo planè non circumcisi fuerunt. Falsum, b) eos solos circumcisos ab initio fuisse. Falsum, c) circumcidendi morem ab iis ad Judæos manasse. Falsum, d) Judæos ipsos consiteri, quod circumcisionem didicerint ab Ægyptiis. Falsum denique, e) Phœnices seipso circumcidisse.

§. XVI. Excipit *Spencerus l. c.* Cur *Herodotum* hac in re, qua sibi nec serebatur, nec metebatur, mentiri voluisse credemus? Sed enim ut ipse crediderim, Eundem studio mentiri noluisse, non tamen propterea sequitur, Eundem nec mentitum

tum

tum fuisse memoria lapsum, vel aliorum narrationibus deceptum, adeoque inscium, ac invitum. Parum enim certi, de rebus Ebræorum, exteris nationibus innotuisse, supra docuimus.

§. XVII. Urgetur: *Veruntamen Josephus ipse L. I. c. App. f. 1047. hunc Herodoti locum recitans hanc ei laciniam addit: Ex iis, qui Palestinam habitant, soli hoc faciunt Judæi; nullo de Circumcisionis Origine verbo addito, quasi tacite innuens, se in Herodoti sententiam manibus pedibusque ire.*

§. XVIII. Nostro autem judicio Josephus prudens, ab illius erroris confutatione in *L. adv. App.* abstinuit, quod Circumcisionis originem alio in loco dilucide satis aperuerat. In *Antiquit.* enim *L. I. c. XI.* sub finem scribit: Προσέταξε ὁ Θεὸς τὸ εἶπὸ τῆς Ἀβραάμ γενέσθαι, βεβλόμενον μένειν τοῖς ἄλλοις μὴ συμπεσόμενον, περιτέμνεσθαι τὰ αἰδοῖα &c. *Jussit Deus Abrahæ genus, quod nolebat cum aliis permixtum, pudenda circumcidi.* Et *cap. XII.* quum de Isaaci recens nati Circumcisione exposuisset, addit: ἔξ ἐκείνης μετὰ τῶν αὐτῶν ἔσθαι ἔχουσι οἱ Ἰουδαῖοι, ποιῆσαι τὰς περιτομὰς, *ab hoc tempore mos durat Judæis, ut post totidem dies circumcisionem celebrent.* Quare laciniam Herodoti verbis assuerit, mox viri sumus.

§. XIX. *Diodoro Siculo* haud dubie causam errandi præbuit, quod, cum sanguine, ritus etiam, & ceremonias, ab Ægyptiis, Israelitas traxisse, opinatus fuit. *Celsus*, mendacissimus homo, ipsa criminandi libidine fidem decoxit. *Sanctionibus* auctoritate, in argumento remotissimæ antiquitatis quis steterit? *Julianus* autem hoc minus est audiendus, quod odio, invidiæque nihil non dedit, & quæ modocunque ad contemptum sacrorum nostrorum vergere videbantur, etiam cum veritatis jactura, undique conquisivit. Perseveramus igitur in sententia, Circumcidendi ritum ab Ægyptiis, vel

alia quadam gente, ad Ebræos non dimanasse. Quin potius:

ASSERTIO II.

Circumcisio a solo DEO primum instituta, & Ebræis imperata fuit.

§. I. **U**Tut institutio Circumcisionis commode dispeſcatur in primam, & secundam, vel in institutionem ipsam, & institutionis, per Moſen, confirmationem, vix tamen opus fuerit proluxa demonstratione illius, quod aſſeruimus. Sive enim institutionem ipsam, sive ipsius repetitionem, & inter Leges Moſaicas relationem, spectemus, non defutura nobis sunt argumenta, quibus ex Veteris, novique fœderis, Scripturis ostendamus, solum Deum Circumcisionis auctorem esse.

§. II. In fronte collocamus locum classicum, & ipsa divina institutionis verba comprehendentem *Gen. XVII, 10. n. sq. Hoc est fœdus meum inter me, & vos, & semen tuum post te, quod servabitis: ut circumcidatur vobis omnis mas. Circumcidetis ergo carnem preputii vestri, ut sit signum fœderis inter me, & vos. Natus autem dies octo vobis circumcidetur omnis mas, per aetates vestras &c.*

§. III. Patet ex hoc loco, Circumcisionem ab ipso Numine Abrahamo, & posteris ejus, imperatam fuisse. Quod ostendit a) *veri, aternique Dei apparitio*. Jehovah enim Abrahamo apparuisse dicitur v. l. Absit autem eo vel simplicitaris, vel erroris, prolabamur, ut cum *Card. Cajetano, Cornelio a Lap. ad h. l.* aliisque, Angelum quendam creatum h. l. per Jehovah intelligamus. Inane istud Scholasticorum commentum est, Deum in utroque Testamento non nisi ministerio angelorum apparuisse, ita, ut Angeli in assumptis, & a se formatis, corporibus Deum representarint, quod exhibet *Tanne-*

*rius*

*rus Theol. Schol. T. I. Disp. V. Qu. 5. dist. 5. n. 11.* Nec enim, ubi Legatus Imperatoris, aut Regis, ad hunc illumve Principem mittitur, Imperatorem ipsum, vel Regem, venisse dicimus, & parum conveniret personæ Legati, si diceret: Ego sum Rom. Imperator: Ego sum Rex Poloniarum &c. quod h. l. apparentem fecisse legimus.

Ostendit hoc porro b) *essentialis Dei nominis adhibitio.* Jehovah enim Abrahamo apparuisse dicitur, quod nominis perpetuum, ac proprium esse immortalis DEO, adversus Pontificios, & Socinistas, pridem demonstratum fuit a Nostris.

Ostendit hoc c) *attributi divini consideratio.* Nominat enim seipsum *El schaddai.* Quod ipsum, si a *שָׁדַד* *schadad* deriveatur, Deum *Vastatorem*, vel etiam *Fulminatorem*, (cujusmodi Romanos olim agnovisse, & coluisse, constat;) si a *שָׁבַד*, quod mammam significat, DEum quasi *mammosum*, vel, matris instar, *misericordem* notabit. Sive autem infinita potentia, sive infinita bonitas, & gratia insinuetur, sufficit, quod utrobique aliquod veri DEI attributum nobis in memoriam revocatur.

Ostendit hoc d) *obsequii demississimi, perpetuæque, postulatio.* Ambula, inquit Dominus, coram me, & esto perfectus. Enimvero cujus in oculis perpetuo ambulare, gressusque ac pedes quasi figere debemus, cum oportet esse Omnipresentem, & quod hinc sequitur, verum æternumque Deum, quod ubique locorum coram uno, eodemque Angelo ambulare non possumus. Jubetur autem Abrahamus coram eo, qui apparebat *t. r.*, perpetuo ambulare: E.

Ostendit hoc e) *fœderis cum Abrahamo pactio.* Nullibi enim in Scripturis angeli boni cum hominibus pacisci, vel hos suam velut in fidem adigere, memorantur. Dominus vero dicit: Desponsabo me tecum in æternum *Os. II, 19.* Nec mirum, quod angeli a pacto cum hominibus abstinent, quum

salutem, cujus gratia paciscendum esset, per se prestare non possint. DEus potest. Hic ergo paciscitur.

Ostendit hoc f) *Abrabæ religiosa adoratio*. Dicitur enim, se incurvasse coram eo, qui apparebat. Neque hic recusavit. Angeli vero creati hunc sibi honorem deferri abnuunt, *Apoe. XIX, 10*. Quapropter, qui t. t. apparuit, non fuit angelus quidam creatus, sed ipse DEus.

Denique g) vel ipsa *Circumcisionis*, & signi foederalis, *institutio* id probat. Circumcisio enim est instituta in signum foederis, *externæ* considerata, imo in foedus ipsum, quo se homini obligavit DEus ad conferendam salutem, si pareat. Nemo autem potest promittere salutem, nisi solus DEus. Per Circumcisionem quoque gratia foederalis erat offerenda, conferenda, & obsignanda: quod de novo non esse in potestate angelorum, sed DEI, omnes intelligunt. Hic ergo eandem instituit.

§. IV. Addo locum *Lev. XII, 2, 3*. *Et locutus est Jehovah ad Mo- sen, dicendo: loquere ad filios Israel, dicendo: Mulier si semine au- cta fuerit, & pepererit masculum, immunda erit VII. diebus, juxta dies separationis morbi sui immunda erit: & in die VIII. circumcidetur carnem praputii sui.* Quibus verbis non quidem institutio ipsa, veruntamen institutionis confirmatio, & repetitio continetur. Quicquid enim de capitibus religionis sparsim traditum fuit, & usurpatum in Ecclesia Patriarcharum, id omne, una cum plurimis alijs, recens revelatis, a Mose, in unum quasi corpus Legis redigendum fuit. Postquam igitur Circumcisio, aliquot seculis, quasi per manus Patriarcharum tradita fuerat, Moses eandem Legibus ceremonialibus adscribere, & literarum monumentis consignare debebat. Quicquid autem hujus fecit, id jussus a DEO fecit, qui h. l. diserte ad Mo- sen locutus, eodemque, ut in alijs, sic in hoc etiam negotio, voluntatis suæ interprete usus fuisse dicitur.

§. V. E

§. V. E novi fœderis Scriptura illud Servatoris *Job. VII, 22.* adjicio: Moses dedit vobis Circumcisionem, non, quod ex Mose sit; sed ex Patribus. Quibus in verbis institutio Sacramenti ita Mosi tribuitur, ut simul illius temporibus antiquior statuatur. Absit autem existimemus, Mosē, privato quodam consilio, circumcidendi ritum mandasse. Quicquid hujus fecit, id DEO auctore fecit, qui, quo tempore confirmanda erat Circumcisio, ad Eundem locutus fuit, ut modo ex *Lev. XII, 1.* docuimus. Dicitur tamen h. l. dedisse περιτομήν, quatenus eam *Legibus adscripsit, & in literas retulit*, Israelitis perpetuo usurpandam, adeoque ut internuntius, & minister. Quemadmodum hoc ipso in *Cap. VII.* Moses dicitur *dedisse Legem*, non quod ipse primus, ac præcipuus fuerit illius auctor, sed quia δι' αὐτῆς ἐδόθη, ut explicat *Joannes c. 1, 17.* sic etiam h. l. dicitur dedisse Circumcisionem, quia per eundem fuerat repetita, & Israelitis denuo imperata. Dedit ergo Circumcisionem & *Deus, & Moses.* Ille ut *Dominus, & auctor*, hic ut *internuntius, & Minister*, non quidem qua *primam institutionem*, quæ dudum præcesserat; sed qua *repetitionem, confirmationem, & in Leges Ceremoniales relationem.* Dedit, non, ut a se excogitatum, sed a Patribus acceptam. Non enim ex Mose est circumcisio, sed ex Patribus. *Grotius* h. l. γὰρ ἐν προπεγοῖ positum esse arbitratur. Sed male. Ut ut enim γὰρ κατὰ nonnunquam causam tantummodo *ministerialem* significet, ut *2. Tim. I. 13. 2. Tim. III, 13.* non tamen h. l. vult Dominus Mosē ab *hac causalitate* excludere. Rectius statuatur, his in verbis τὸ ἐκ non *originem*, sed *ordinem, & initium* notare, ut *Marc. X, 20.* ἐκ νεότητός μου, inde a juventute mea, *Act. IV, 48.* ἐκ κοιλίας μητρὸς, ab utero matris, ἐκ πολλῶν ἐτῶν, *Act. XXIV, 10.* inde a multis annis. Id ergo docere vult Dominus, circumcisionem primum omnium Patribus Judæorum imperatam a Deo, ab iisque primum adhibitam, usurpatamque fuisse.

## ASSERTIO III.

Et quidem data fuit Ebræis, ab Abrahamo, mediantibus Isaaco, & Jacobo, descensuris.

§. I. **Q**ullo tempore Abrahamo imperata Circumcisio fuit, non modo *Sem, Salab, & Eber*, majores ejus, in vivis erant, quod temporum rationes ostendunt, sed & Ebræorum gens, maximam sui partem, in Mesopotamia, & aliis in locis, hærebat. Quin &, *extra Abrahami*, in Canaan commorantis, familiam, aliæ quædam pietatis, & sanctimonix laude celebres, dabantur. Scriptura enim *Melchisedeci* meminit, qui idem & Rex Salem, & sacerdos Altissimi erat, religionis autem & justitia fama tantopere excellebat, ut & ab Abrahamo decimas acciperet, & Messiam suis cum beneficiis adumbraret, *Gen. XIV, 18. Ps. CX, 4. Ebr. VII, 1. sq.* Sodomis autem t. t. se-  
debat *Lotus*, Abrahami e fratre nepos, quem a pietate, ac innocentia Petrus etiam commendat *2. Ep. II, 7. 8.* Neutri tamen data Circumcisio fuit, sed Abrahamo nonagenario majori, hujusque posteritati. In verbis enim institutionis *Gen. XVII.* non jussit Deus omnes gentes, ac ne Ebræos quidem omnes, circumcidere, ut *Matth. XXVIII, 18.* omnes baptizare; sed semini Abrahamæ id privilegii reservavit.

§. II. *Triplex* autem Abrahamus habuit sentem, *secundum Carnem.* Carnem, inquam. Alioqui enim & *singularissimum*, excellentissimumque habuit; Messiam nempe *Rom. IX, 3. Gal. III, 16.* & *Spirituale*, per gentes diffusum, h. e. credituros omnes, *Gal. III, 7.* Secundum carnem vero e tribus conjugibus, & trino matrimonio, *triplex* quoque semen suscepit: ex Hagar, *Ismaelem*: e Sara, *Isaacum*; e Keturæ, *Mefan, Midian*, & alios. Hos omnes foedere divino comprehensos fuisse



fuisse *Montacutius* opinatur in *Orig. P. I. f. 60. sq.* *Ait Dominus*, inquit, *ad Abrahamum* ὁπολελυμένως, & *in genere*: Hoc est pactum meum, quod observare debetis, inter me, & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. - *Pacificabatur Deus cum Abrahamo*, & *femine ejus*: h. e. *semen temporale, & spirituale, & ante istos geniti de Abrahamo, Ismael, Esavi, Cetura filii.* Sed & *non geniti de Abrahamo*: *Verum familia illa ejus comprehensi Lothus, patris ipsius filius, & ipsius etiam domus Oeconomus, Eleasar Damascenus, servi & verna in universum omnes spectabant ad pactum cum Abrahamo.*

S. III. Verum enimvero, utut hi omnes fuerint *semen* Abrahæ, ab eoque carnali generatione descenderint, non tamen *illud semen* fuerunt, quod *foedere illo*, ad omnem posteritatem, gaudere debebat. Sic enim ad Abrahamum Dominus *Gen. XVII. 29.* *Vere Sarab uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Jizback: & erigam foedus meum* NB. *cum illo* (nempe *Isaaco*) *in foedus æternum, & semine ejus, post illum.* Mox, quo res clarior evadat, *Isaacum Ismaeli opponit* v. 20. 21. *Quod ad Ismaelem, exaudi vi quidem Te: ecce benedicam illi, & fructificabo illum, & multiplicabo illum admodum valde; Duodecim principes generabit, & dabo eum in gentem magnam.* NB. *Sed foedus meum erigam cum Jizbacko, quem pariet tibi Sarab.* Jam, in quo *Isaacus Ismaeli opponitur*, illud non fuit *Ismaelitica* genti, cum *Israelitica*, commune. Atqui in *foedere*, per *Circumcisionem* inito, *Isaacus Ismaeli opponitur*. E. Quin potius, *respectu cujus filii* etiam *Reges* ab Abrahamo erant descensuri, *respectu ejus quoque foedus cum DEO* per *Circumcisionem* sortitus est, quod patet e. c. 16. Atqui *respectu Isaaci &c. E.* Deinceps, *respectu cujus filii* Abrahamus futurus erat *Pater multorum populorum*, h. e. omnium *credentium*, ut *Paulus interpretatur Rom. IV, u. 16. 17. & Gal. III, 7. 8. 9.*  
respe-

respectu ejus quoque Circumcisionem accepit. Atqui respectu Isaaci. E. Postremo, *quo filio mediante* omnes gentes erant in Abrahamo benedicendæ, pro eo quoque *solo* Circumcisionem accepit, ad posteros transmittendam, quandoquidem Circumcisio medium erat benedictionis, per Christum partæ, hominibus applicandæ. Atqui mediante Isaaco &c. E.

§. IV. Dixeris: *Ismael tamen fuit, perinde ut Isaac, circumciscus, eoque ipso cum posteris suis, in fœdus gratiæ admissus.* Sed enim vero non sequitur, quicumque circumciscus fuit t. t. ad ejus posteros Circumcisio, per modum fœderis, debuit transmitti. Etiam *Elieser Damascenus, & alii servi, ac vernæ circumcisi fuerunt t. t. nec tamen propterea iis, eorundemque posteris, peculiare fœdus indulerat Dominus.* Circumciscus ergo Ismael fuit, quatenus pars erat familiæ Abrahami, & eatenus etiam fructum fœderis *pro se* expectandum percepit. Interim cum eodem, tanquam satore, stirpe, ac parente gentis peculiaris, Deus non pepigerat fœdus circumcisionis, adeoque nec ab eodem transmitti debebat ad posteros. *Quin potius exturbatus fuit e domo Abrahami, eoque ipso significatum, fœdus cum Isaaco, non Isinaele, pactum fuisse.*

§. V. Idem de *Cetureis* Abrahæ posteris affirmo, qui hac maxime de causa e domo Patris, utut donis amplissimis ornati, a vivo & superstite Abrahamo, migrare jussi sunt, quo intelligerent, nihil sibi juris esse illa in beneficia, quæ Deus Isaaco, ejusque posteris destinasset. Nolle quidem Deum a fructu fœderis quenquam excludere, ejus in societatem venire qui expetat: Interim fœdus ipsum ad solum Isaacum, ejusque posteros, pertinere, quibuscum illud inierit, non cum Ismaele, vel aliis secundum carnem ab Abrahâ descendentibus.

§. VI. Imo vero ne quidem ad omnes *Isaaci* posteros  
istud

istud privilegii, sed ad *solos Jacobitas*, vel *Israelitas*, spectabat. Erat quippe 1.) circumcisio tessera illius benedictionis, ad cuius exhibitionem Deus peculiari ratione sese obligarat. Quam quidem benedictionem ubi ad se transtulit Jacobus, cum benedictione ipsa, benedictionis quoque tum medium, tum tesseram, sibi vindicavit,

Adde 2.) quod, *ad quem* pertinuit possessio terræ Cananæ, ad eum quoque pertinuit fœdus Circumcisionis, quod patet ex *Gen. XVII, 7*. Ad Jacobum vero, huiusque posteros, terra Canaan spectavit, cui etiam ea Esau sponte cessit, *Gen. XXXVI, 6. 7*. Hoc ipso igitur fœdus cum Isaaco initum, ad se, suosque posteros non pertinere, agnovit.

Porro 3.) Circumcisio & fœdus, & fœderis signum, appellatur *Gen. XVII, 4. Rom. IV, 4*. Jam *ad quos solos* pertinet fœdus, ad eos quoque solos spectat fœderis obfignaculum. Ad *solos* autem *Israelitas* spectat fœdus. E etiam fœderis obfignaculum, Circumcisio.

Amplius 4.) quilibet circumcisus ad observationem totius *Legis*, etiam *ceremonialis*, fuit obligatus, quod docet Apostolus *Gal. V, 3*. Atqui vero, ad custodiam *Legis Ceremonialis* *solus* obligatus erat *Israeliticus* populus, unde & subinde in Exodo & Levitico additur: Servabitis hæc in generationibus vestris. Adde *Jer. XXXI, 31. Dan. IX, 27. Col. II, 16. Ebr. IIX. v. 13. X, 7. E.*

Deinceps 5.) amputatio præputii respiciebat semen benedictum, fide apprehendendum. Hinc in angustiis a Circumcisione petebant salutare solatium, Jonathanis exemplo, qui hoc uno, velut umbone quodam, & clypeo adversus hostilem incursum se confirmabat, quod ipse circumcisus esset: hostis, in quem ibat, non circumcisus *1. Sam. XIV, 6*. Quibus igitur *solis* promissum erat semen benedictum, ratione originis,

nis, & natiuitatis, ad eos quoque *solos* spectauit expectandum a Circumcisione solatium. Atqui Israelitis solis. E.

Tum vero 6.) quibus *solis* data est Circumcisio in confirmatione, iis quoque solis data fuit in institutione prima. Sed vero solis Judæis. E.

Denique 7.) Judæi hodiernum negant, alias, præter se, gentes circumcisas fuisse, ut *Schmidius c. I.* observat. *Epiphanius* autem, & alii, non alia de causa Circumcisionem *Ægyptiis, Colchis, Arabibus, Syris*, tribuunt, quam ne Judæi ob eandem tantopere efferant sese, ac jactent.

#### ASSERTIO IV.

**Circumcisio igitur non fuit aliis populis, cum gente Israelitica communis.**

§. I. **R**ich. Montacutius P. I. Orig. Eccles. f. 60. sq. distinguit inter Circumcisionem *Patriarchalem*, & *Legalem*, additque, illam pertinuisse ad alias etiam gentes, scilicet *Ismaelitas, Midianitas, Edomitas* &c. & quotquot ad semen Abraham fuerint referendi. Alio loco inter *Circilem*, & *Sacramentalem* distinguit.

§. II. Prior illa distinctio, si de alio, atque alio promulgandi modo accipiatur, tolerari potest, quum Circumcisio, temporibus Ante-Mosaicis, quasi per manus a *Patriarchis* tradita, postea vero a *Mose*, jussu Dei, literarum monumentis consignata, Legibusquæ Ceremonialibus inserta fuerit. Nec alio forsitan respexit Montacutius, quum eandem *Mosis* temporibus *renouatam* fuisse scribit. Renovatio enim est rei ejusdem, non diuersæ.

§. III. Interim nec id facile dederim, *Patriarchalem*, quam sic cum *Richardo* vocabimus, Circumcisionem, ad *integras* nationes, ante *Mosis* tempora, dimanasse, ab iisque u-

furpa-

surpatam fuisse. Primo enim supra docuimus, de voluntate Dei instituentis, eandem non ad *omne* Abrahami *semen* promiscue, sed ad *semen*, cui donata fuisset Promissio de Messia, Isaacum scilicet, & Jacobum, horumque posteritatem, spectasse. Etiam si ergo Ismael, Midian, Esau, reliqui, circumcisi fuerunt, cum partim ex Abrahamo, partim ex Isacco descenderint; negamus tamen, illos hunc ritum ad posteros, tanquam foedus quoddam, & foederis ob signaculum, propagasse. Nec enim poterant ignorare, qua *ortum ex carne*, non *sibi*, sed *aliis*, promissum esse Messiam, nec in *se*, verum in *Isaaco*, & *Jacobo*, benedicendas esse omnes gentes, denique Isaacum, & Jacobum, divinitus esse dignatos, quibuscum foedus iniret Dominus, quorumque posteros sibi in peculium seligeret, coetumque sacrum, & purioris doctrinae custodem; ac vindicem, destinaret.

§. IV. Esto autem, *Ismaelem*, *Midian*, *Esauum*, suis in familiabus aliquandiu retinuisse hunc ritum, progressu saltem temporis, & ubi in justae gentis magnitudinem excreverunt, omisisse illum, prorsus persuasum habeo, ita ut arbitrer, eo tempore, quo institutio ejus, apud Israelitas, repetita fuit per Moysen, nullum in orbe terrarum *populum* fuisse, cui universo fuerit Circumcisio recepta.

§. V. De *populis* loquor. Nec enim is facile negarim, inter exterarum nationes, *Aegyptios*, *Syros*, *Arabes*, vel *singulos*, vel integras etiam *familias*, fuisse, qui ritum circumcidendi tenuerint. Uti enim nulla non in gente quidam Israelitarum Profelyti fuerunt; sic etiam nulla non in gente reperti sunt, qui sacris Ebraeorum initiandi, praepurium amputarent. Potuit e.g. Eliezer, apud *Syros*, Jobabus, apud *Edomitas*, Potiphara, apud *Aegyptios*, ritum illum, vel a majoribus, vel ab Ebraeis, acceptum, in sua quisque familia, servasse.

§. VI. Quod autem ad *integras gentes* attinet, nego ac per-

nego, Circumcisionem præter Israeliticam, ullam earum sic pervagatam fuisse, ut ab omnibus ad eam referendis familiabus, hominibusque fuerit usurpata. Quum enim sacræ literæ ostendant, nihil citius, crebriusque, ab ipsis etiam Israelitis, quam religionem, mutatum fuisse, & sigillatim Ismaelem omnia risse, Midianitas a populo Israelitico se longius removisse, Esavum Cananæis per connubia se junxisse, quis credat, eos tradendo huic ritui pertinaciter inhæsisse?

§. VII. Nonnulli, quod supra monuimus, h. l. distinguunt inter Circumcisionem mere *Civilem*, & *Sacramentalem*. Quorum illam aliis quoque, extra Israeliticam, gentibus reliquunt: hanc Israeliticæ vindicant. Ego vero, *neutram* in aliâ quadam gente ita obtinuisse, existimo, ut ad *omnes* istius gentis *homines*, & *familias* sese extenderit. Itaque Circumcisionem *Epiphanius* l. c. apud *Ægyptios*: *Procopius* ad Gen. I, 14. apud *Ismaelitas*, *sacerdotibus* vindicant, reliquis tacite exclusis. Integris autem nationibus, qua omnes ordines, familiasque, receptam fuisse, prorsus infitior, idque de singulis, quibus, præter Israeliticam, vulgo tribuitur, facili negotio demonstrabo. Enimvero

#### ASSERTIO V.

**Speciatim apud Ægyptios, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, Arabes, aliosque, universaliter, & qua tales, non obtinuit.**

§. I. **N**on nescio, quo in argumento nunc verfer. Cautè igitur mihi, ac circumspectè progrediendum esse, intelligo. Cl. Vir *Dn. D. Danzius* in *Dissert. de Bapt. Profel. s. 88. p. 29.* videtur sibi, etiam e Scriptura, ostendere posse, quod Circumcisio in aliis, præter Judæos, gentibus obtinuerit. *Inter illas*, inquit, *recenset Ægyptios, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, &*

nonnullos Arabum *Jer. IX, 24. 25.* Admiranda est styli varietas in interitu diversarum gentium describendo *Ez. XXXI. & XXXII. quarum alie v. g. Assur, Mesech, Elam, Tbulal, & Zidonii, dicuntur cubare præputiati, Ezech. XXXII, 21. 24. sq. sed Idumæi, & Egyptii, inter præputiatis. Ez. XXXII, 29. Cap. XXXI, 18. 19. sq.*

§. II. In his vero accuratius perpendendis repeto primum, quæ superius attuli, me scilicet non negare, quod hic, & ille, inter *Egyptios, Idumæos, Ammonitas &c.* vel etiam *integre familie*, ritum circumcidendi tenuerint: hoc tantum adjicio, non tenuisse illos, *quatenus præcise fuerunt Egyptii, vel Edomitæ, aut hujus, vel illius, gentis alumni; sed quatenus fuerunt Profelyti, qui ex hac illave gente ad religionem Judaicam, veritate victi, se contulerunt.*

§. III. Ceterum parum abest, quin mirum me habeat, eruditissimum Virum eo in argumento ad Scripturam se cepisse, in quo ab eadem non modo deseritur, sed etiam confutatur. Recito primum *Jeremie* verba, *c. IX, 15. 16.* *Ecce dies venient, dicit Dominus, quibus animadvertam in omnem circumcisum cum præputiato; in Egyptios, & in Judeos, & in Edomitas, & in Ammonitas, & in Moabitas, denique in omnes amputatos latere, qui habitant in deserto: nam omnes iste gentes præputiatis sunt: etiam tota domus Israelis præputiatis sunt corde.*

§. IV. Quibus in verbis Dominus minatur, sese in circumcisum, cum præputiato, animadvertere velle. Quos igitur nominat deinceps, hos non omnes promiscue circumcisos, sed alios circumcisos, alios autem præputiatis esse oportuit. Alioqui Dominus non dixisset, punire se velle circumcisos cum præputiatis, sed solos circumcisos. Finge cum *Cl. D. Danzio, Egyptios, Edomitas, reliquos, perinde ut Judæi, circumcisos fuisse, quid opus erat inter Circumcisos, & non circumcisos, di-*

ringere? Imo quid opus illo epiphonemate: *Omnes ista gentes præputiatae sunt: etiam tota domus Israelis præputiati sunt corde?* Equidem Hieronymus accipit de gentibus, non nominatis h. l. Sed recte contra observat *Seb. Schmidius*, hoc pacto non Judæos solos, sed & *Ægyptios, Edomitas* &c. gentibus opponendos fuisse. Rectius igitur hæc verba attenduntur, tanquam *ratio antecedentis*, cur nempe Circumcisionem, cum Præputio, Judæos cum Gentibus, punire velit, nempe quia Judæi non minus sint præputiati, quam alii. Etsi enim non sint præputiati carne; esse tamen præputiatis corde. Finge denique, *Ægyptios, Edomitas, Moabitas*, reliquos; circumcisos fuisse, quo nomine nunc poterunt Judæi ab iisdem distingvi? Dixeris: hoc uno, quoad *præputiati sunt corde*. Atqui *Ægyptii, Edomita*, reliqui, non minus erant præputiati corde, utut essent circumcisi, qua carnem. Cur ergo non dictum fuit a Domino: Animadvertam in omnes *circumcisos carne, præputiatis autem corde*. Res ipsa id loquitur, Dominum admittere h. l. aliquod discrimen, & id quidem *externum*, inter Judæos, & *Ægyptios*, reliquasque gentes, nempe *circumcisionem*, qua *Israelicæ* gaudeant, *reliquis gentes* non gaudeant; sic tamen, ut simul insinuet *causam*, cur, *hoc non obstante discrimine*, Israelitas *eadem* velit *severitate* punire, qua gentes reliquas, nempe *reatum* per peccata contractum, qui cum utrobique, apud *Circumcisos, & non-circumcisos* par sit, parem quoque exigat, postuletque poenam. Negat igitur conceptis verbis Dominus, *Ægyptios, Idumæos*, reliquos, perinde, ut *Israelitas*, circumcisos fuisse. Consentire videtur *Grotius in animadv.* ad h. l.

s. V. Jure nihilo potiore provocatur ad loca *Ez. XXXI. & XXXII.* in iisque urgetur, quod *Assyrii, Persæ, Sidonii, alii, præputiati* jacere: *Ægyptii*, atque *Edomita* *inter præputiatis* jacere, commemorantur. Num quis enim propterea *virius* esse



esse statuitur, quia non quidem mortuus, sed *inter mortuos* jacere dicitur? Quis nescit, Ebraum loquendi modum: *in medio hujus, vel illius*, similitudinem notare? Inspiciantur vel ipsius *Ezechielis c. XXIX, 12. XXX, 7. XXXI, 18.* aliaque Scripturae loca. Femina illa, ad quam divertere aliquando Elisaeus solebat, *ipsa* quoque erat Israelitica, utut *in medio* populi Israelitici habitaret *2. Reg. IV, 13.* & Joas omnino erat Regia soboles, utut *inter filios* Regis aiebatur *2. Chron. XXII, 11.* & ipse quoque *Jesaias* erat impurus, *quia in medio* impuri populi versabatur *Jes. VI, 5.* & Aegyptii, Arabes, Idumaei, reliqui, *ipse* quoque praepuciati erant, quando *inter praepuciatos* jacebant.

§. VI. Neque etiam divinare, vel assequi possum rationes, ob quas & nuptiae Salomonis cum filia Pharaonis improbatæ, & mariti Judaici cum uxoribus Ammoniticis, ac Moabiticis divortium facere coacti, ipsi vero Ammonitæ & Moabitæ propemodum a Judæis in piaculis sint habiti, siquidem illi sanctissimum circumcidendi ritum retinuerunt, ut alia omittamus. Tantum igitur abest, ut e Scripturis pro hac sententia aliquid solidi afferri possit, ut etiam ad demonstrationem contrarii non contemnenda suppediret argumenta.

§. VII. Quod Sigillatim ad *Aegyptios* attinet, moneamus primò 1.) a nemine Dissidentium ostendi posse, *quo tempore, & quo auctore* Circumcisionem acceperint. Fatetur hoc *Montacutius P. I. Orig. Eccles. f. 56.* *Quo primum,* inquit, *tempore Aegyptii, ac ceteræ nationes Palestine conterminæ Circumcisionem adhibuerint, non constat.*

2.) *Clemens Alexandrinus* usum illius, apud *Aegyptios*, ad *solos sacerdotes* restringit *Strom. I. f. 302.* docetque, Pythagoram ideo sese circumcidendum curasse, ne mysteriis Aegyptiorum a sacerdotibus arceretur. Idem *Epiphanius* tradit, ubi adversus Ebionitas disputat: *Τὶ δὲ, inquit, καυχᾶται Ἐβραίων περιτομῆν, ὅποτε καὶ οἱ εἰδωλολάτραι, καὶ ἱερεῖς τῶν Αἰγυπτίων*  
ΠΕΡΙΤΟ-

περιτομὴν ἔχων. *Quid est, quod Ebion adeo de Circumcisione sua gloriatur, quum & idolorum cultores, & sacerdotes Ægyptii, seipfos quoque circumcidant? T. I. O. O. hær. XXX. num. 30. fol. 160.*

3.) Notabile est, quod B. D. Ittigius, cujus Viri scripta ob vastam & reconditam eruditionem, admirari satis non possum, e *Gen. X, 12. 14.* eruit argumentum. Eo enim in loco Palæstini in Mizrajim posteris recensentur. Si vero posterii Mizrajim, vel Ægyptii, Circumcisione antiquitus usi fuissent, dubio procul etiam Palæstini, ab Ægyptiis orti, eandem usurpassent, quum tamen, Palæstinos Circumcisione minime usos fuisse, constet. *Vid. Hist. Eccl. Sec. I. Cap. III. Sect. 2. p. 147.*

4.) Repeto etiam illud, quod jam in *Dissert. de Baptismo attuli, Theodoritum* nempe *T. I. O. O. Qu. 3. in Exod. f. 78. edit. Paris. nec non in tract. de Græc. affect. curatione serm. I. f. 6.* docere, quod filia Pharaonis, Mosen Ebræum quendam puerum esse, e Circumcisione didicerit. Ex quo recte colligitur, Circumcisionem t. t. notam Ebræorum fuisse.

*Excipit Cl. D. Danzius l. 1. §. 90. Non videtur Moses ex amputato præputio agnitus; sed ex educatione denegata, & abjectione in fluvium: - - Potuisset etiam discrimen e diversitate ætatis dignosci: si ætate saltem matura novaculam admiserint Ægyptii, more Arabum.*

Ego vero crediderim, e *circumciso præputio* rectius, & certius, quam ex denegata educatione, & *abjectione in fluvium*, cujus generis esset Moses, colligi potuisse, propterea, quod tenuioris fortunæ parentibus, apud omnes prope gentes, solenne fuit, ob metum difficultatis in alendo, ac sustentando, exponere pueros. Ægyptios autem ad ætatis usque maturitatem distulisse Circumcisionem, inanis est conjectura, nullo fundamento inixa, meritoque suo rejicienda.

Quid? quod 5.) præputiatum esse, *Jos. V, 9. Ægypti opprobrium*

*brum* appellatur, idque, per amputationem præputii, ab Israelitis ablatum fuisse dicitur. *Spencerus fol. 50.* existimat, *Ægypti opprobrium* appellari præputium, quia hoc diu, ante *Josue tempora*, pro opprobrio & infamia, *Ægyptii habuerint.* *Mars-hamus* fati & impudenter, & imperite affirmat: *Tam Ægyptiis, quam Judæis opprobrio fuisse incircumcisos f. 72.* Sed vero multo hunc locum sapientius, & solidius, explicat *Athanasius, ὁ πάλιν*, quem quidem *Alexandriæ*, & ipsos inter *Ægyptios*, vixisse constat, *de Sabbato, & Circumcisione T. I. OO. f. 763. ed. Commelin.* εἰ ἡ περιτομή, inquit, ἀφαιρέσις ἐστὶ τῆς ἐν Αἰγύπτῳ γενέσεως, διλονότι ἡ ἀκροβυστία, NB. Αἰγυπτιακῆς ἡέσεως, καὶ γενέσεως γνώρισμα ἐστὶ, *Circumcisio ablatio est Ægyptiacæ generationis, quum præputium NB. character sit Ægyptiaci habitus, NB. ejusque nationis insigne.* Opprobrium igitur est, h. l. non quod tanquam probrosum quid in aliis gentibus notabant *Ægyptii*, sed quod in ipsis *Ægyptiis*, tanquam probrosum quid, ac pudibundum, ab *Israelitis* poterat notari. Hi enim, *Ægypto* licet egressi, ad id usque tempus non amputarant præputium, eaque de causa eodem, quo *Ægyptii*, probro ac dedecore laborabant. Postea vero quam fuerant circumcisi a *Josua*, sublatum erat ab ipsis *Ægypti* opprobrium, vel id ipsum, quod tanquam *Ægyptiacæ generationis* indicium, ut *Athanasius* loquitur, vel ex *Ægyptiis* moribus, ac institutis, residuum, iisdem ad dedecus & opprobrium poterat imputari. Quod ipsum vero invictum, judicio nostro, argumentum est, *Ægyptios* circumcidendi ritum non observasse.

§. XII. Denique oblitus sui *Cl. D. Dissentiens §. 89.* fateatur, constantem esse *Ebræorum traditionem, Ægyptios, post Josue mortem, Circumcisionem neglexisse.* Nec videtur ab hac opinione alicuior *Rich. Montacutus l. c.* Sed enim, si mature omiserunt circumcisionem *Ægyptii*, cur §. 88. Eisdem, tempore *Ezechielis*, adhuc circumcisos fuisse statuitur, cur non

*præputiatis*, sed *inter præputiatis*, jacuisse ex *Cap. XXXI. & XXXII.* urgetur? Qui enim, inde ab excessu Josephi, neglexerunt circumcidendi ritum, quo jure a præputiatorum numero eximentur? Et quid opus fuit, in gratiam eorum, peculiarem initiationis baptismum invehere, qui poterant circumcidendo initiari, & circumcissione, toto ante sæculo uti desierant, quam ille divinitus mandaretur, ad montem Sinai, Baptismus, a quo, velut fonte, rivulus, Profelytorum Baptismus manasse, existimatur?

§. XIII. Confectum, opinor; dedi, quod *Aegyptii* Circumcisionem vel nunquam receperint, vel saltem receptam non diu retinuerint. Itaque ad *Ammonitas*, & *Moabitas*, pergo, quos tamen unquam circumcisos fuisse, subdubito. Utur enim descenderint a Lotho, quem Abrahamæ necessarium, & ex fratre nepotem fuisse, legimus; meminisse tamen debemus, eo tempore, quo circumcisionem accepit Abraham, Lothum jamjam, velut emancipatum, suas sibi res, rationesque, ab Abrahamo separatas, habuisse, quod constat capitibus *XIII. & XVII.* secum collatis. Saltem Eum Circumcisum fuisse, non legitur, etsi *Eheser*, & *Ismael*, & alii, quotquot erant in domo Abrahami mares, circumcisi fuerunt, quod hoc foedus ad solos Isaacidas pertinebat, ut supra docuimus. Unde & *Lothum* a Circumcisorum numero *Justinus c. Tryph. Tertullianus c. Judæos*, & alii Patres eximunt. Imo si vel maxime *Ammonitæ*, & *Moabitæ*, aliquandiu eundem illum ritum ferverunt, tamen usque ad ingressum Israelitarum in Palæstinam, mos ille non duravit, quum *Balaaci*, & *Bileami* agitata de Israelitis consilia, & his propinata ipsius Priapi sacra, foedissimam illius gentis, a majorum religione, declinationem fati ostendant, unde & eorundem filia eodem, cum Cananais, numero locoque, sunt reputatæ. *Num. XXII, 5. sq. Deut. XXIII, 3. Neb. XIII, 4.*

§. XIV. *Ismaelitas*, *Midjanitas*, *Arabes*, *Colchos*, *Troglodytas*, *Aethiopes*, aliquandiu tenuisse hunc ritum, præfracte negare

gare nolim, quum omnes hæ gentes ab *Abrahamo*, vel per contubernium cum *Hagar*, vel matrimonium cum *Ketura*, fuerint oriundæ, quod constat ex *Gen. XXIII, 1.* & de *Troglydytis*, *Æthiopibus*, & *Colchis* ostendit, *Josephus L. I. Antiqu. c. 16. f. 24.* Diu autem his in gentibus durasse, quicquid etiam *Herodotus*, aliique tradant, est, quod infitior. *Zipora* enim erat Principis *Midianitarum* filia, *Exod. II, 16, 21.* & *Æthiopissa*, *Num. XII, 1.* Nihilominus tamen circumcissionis ritum tanrope averfabatur, ut non, nisi extremo mariti periculo inducta, filio præputium amputaret, amputatumque, cum luculenta indignationis significatione, ad pedes mariti abjiceret *Exod. IV, 24, 25.* Hinc *Procopius ad Gen. I, 14.* ad *Sacerdotes* *Æthiopum* restringit, nec dissentit a nobis *Montacutius P. I. Orig. f. 58.* De *Ismaelitis* autem eo facilius hoc mihi videor posse ostendere, quod haud dubie a suo ipsorum Progenitore *Abrahamo* didicerunt, pactum cum ipso initum per Circumcisionem ad solos *Isaacidas* pertinere.

§. XV. Idem de *Idumæis* censeo. *Esavum* enim ob jus primogenituræ, sibi subductum, in tantum efferveruisse dicunt *Judæi*, ut *notam Circumcisionis in se deleret, præputio arte maligna reducto.* Hæc reperit *Cl. Dn. D. Danzius §. 89. dissert.* suffragioque suo firmat, & addit: *ea de causa invenisse Hircanum, quod præcidi curaret in Idumæis.* Quo ipso uti tacite fatetur, *Idumeos*, propemodum ad tempora usque nati *Servatoris*, expertes circumcissionis fuisse; sic denuo sibi contradicit, quippe qui §. 83. locum *Josephi*, quo imperatam fuisse *Idumæis* ab *Hircano* Circumcisionem tradit, multo aliter explicuerat. Mihi vero valde probatur *Rich. Montacutii* opinio *P. I. Orig. Eccles. p. 57.* scribentis: *Ab initio erant procul dubio circumcisi: quippe ab Esavo oriundi, qui & ipse Circumcissus juxta Dei mandatum, illam consuetudinem ad suos posteros, NB. saltem aliquandiu transmiserat usurpatam. Quam tractu temporum per incuriam, ut fit, desuetudinem, aut Judæorum*

odium, vel rejecerant, vel deposuerant, donec, imperante Hircano, demum admiserunt. Atque ita statuendum arbitror de ceteris Arabia nationibus, Ammonitis, Moabitibus, Ismaelitis, Midianitis, & aliis, a Lothi, vel Cetura filius oriundis. E quibus denuo sequitur, mature, his in gentibus, & vel ante Israelitarum ex Aegypto egressum, circumcidendi ritum exolevisse.

§. XVI. Epiphanius, loco supra citato, etiam Samaritanis Circumcisionem relinquit, quorum reliquias, (hodie fratres Sichemita dicuntur) adhucdum hujus ritus tenaces esse, iis ex literis patet, quas Jobus Ludolfus Anno sec. super. octavo & octogesimo publicavit. Constat vero e Scripturis, quod Samaritani, praesertim proximis, ante natum Servatorem, temporibus, sacra Judaeorum maximopere sint æmulati. Sed nec ignotum est capitale odium, quo ab iisdem discederunt Judaei, quodque obstat, quo minus existimemus, hos in illorum gratiam, peculiarem initiationis Baptismum recipere voluisse. Addo, fieri potuisse, ut Epiphani tempore, praeter Judaeos, nonnulli Circumcisionem servarent, qui ad id fuerant a Pseudo-Apostolis, vel etiam haereticis, inducti. Hi enim haud dubie non Galatas solum, sed alios quoque Christianos, e gentibus collectos, utpote Arabes, Syros, (nam & Antiochia diseminatum fuisse errorem, legimus, Act. XV, 1. 2. sq.) in erroris societatem traxerunt, a quibus deinceps usque ad Epiphani tempora propagatus fuit. Non igitur sequitur, quod, quia in gentibus, Epiphani tempore nonnulli Circumcisionem servarunt, integre gentes, longis ante Servatorem natum temporibus, circumcisae fuerint, quum vel a Pseudo-Apostolis, vel aliis etiam haereticis, utpote Simonianis, Ebionitis, aliisque caecoëthes illud in hanc illamve familiam, vel gentem introduci potuerit. Quapropter

#### ASSERTIO VI.

Circumcisio fuit Israelitis propria.

§. I. **P**ropriam fuit, non solum ratione divinae institutionis, sed etiam religiosa observationis. Primo enim 1.) Circumcisio solis Israe-

Israelitis, per ea, quæ supra diximus, erat in signum foederis data. *Gen. XVII.* Quibus autem *solis* divinitus fuit *data*, ab iis quoque *solis* fuit haud dubie *retenta*. Si enim alias quoque gentes univærse, & qua omnes familias, pervagata fuisset, tum id evenisset, vel quia sponte recepissent illam, vel quia, ut reciperent, fuissent ab Israelitis compulsi. Atqui sponte illam recepisse exteras gentes non legitur, nec, quod receperint, verosimile videtur, quum eadem visa fuerit *περᾶγμα γελώμενον παρὰ πολλοῖς*, ut loquitur *Philo*. Ergo sponte recepta non est. Coacti vero ad Circumcisionem ab Hircano sunt Idumæi; alios *coactos esse*, non legimus. Merito igitur unquam coactos fuisse, dubitatur.

§. II. Illud 2.) imprimis notandum est, quod adhuc in N. Testamenti Scripturis *Judei*, beneficio Circumcisionis, *adequate* a reliquis gentibus discernuntur. Illi enim *οἱ ἐκ περιτομῆς*, vel etiam absolute *ἡ περιτομή*: ceteri, *ἄνδρες ἀκροβυστίας ἔχοντες*, *Actor. XI. 3.* vel etiam simpliciter *τὰ ἔθνη* salutantur *Gal. II, 7. 8. 9. 12. 14.* & alias. Quo vel uno argumento, invictò quippe, videor mihi assertionem, adversus neminem non dissentientem, tueri posse.

§. III. Neque vero 3.) præteriri debet, quod Circumcisio fuit *nota Ecclesie visibilis* Abrahamo, & semini ejus, data in obfignaculum justitiæ, *Rom. IV, 4.* Argumentor: *Apud quos solos in V. T. fuit Ecclesia visibilis, iis solis in V. T. propria fuit Circumcisio, Ecclesie visibilis nota. Atqui apud solos Judeos in V. T. fuit Ecclesia visibilis. E.*

§. IV. Addo 4.) quod Circumcisio omnium consensione fuit Sacramentum *initiationis*, nunquam adhibendum, nisi cum vel *τῆ φύσει* Judæus, vel exterus aliquis, sed de veritate religionis Judaicæ, intra se, convictus, in foedus gratiæ divinæ recipiendus fuit. Integras autem gentes sacris Judæorum accessisse, non legimus. Mansit igitur Circumcisio Israelitis propria.

§. V. Postremo 5.) character gentis Israeliticæ fuit *ἡ περιτομή*. Hac enim sese a Palæstinis, hæreditariis, utur vicinis, hostibus, Jonathan distinguebat. *1. Sam. XIV, 6.* Imo vero, exteri scriptores, non alio consilio hunc ritum instituisse Moſen, commemorant, quam quo per eundem ab aliis cunctis gentibus Israeliticæ discernenterentur. Josephus in *Archæol. L. I. c. n.* scribit: *Voluit Deus, corporali hac nota insigniri gentem nostram, quo scilicet manifesto secerneretur, & segregare-*

garetur a ceteris gentibus. Consentiant Patres. *Justinus in Dial. c. Tryphonem f. m. 234.* ἡ ἀπὸ Ἀβραάμ κατὰ σάρα περιτομή, inquit, εἰς σημεῖον ἐδόθη ἵνα ἦτε ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐθνῶν, καὶ ἡμῶν ἀφορισμένοι. - - NB. ἡ γὰρ ἐξ ἄλλης τινὸς γνωρίζετε παρὰ τῆς ἄλλης ἐνθροῦτος, ἡ ἀπὸ τῆς ἐν σαρκὶ ἡμῶν περιτομῆς. *Circumcisio, inquit, quam ab Abrahamo accepistis secundum carnem, in signum, notamque data est, ut sitis ab aliis gentibus & a nobis discreti - - Non enim alia nota est, per quam NB. pra ceteris mortalibus agnoscerimini, quam ista in carne vestra Circumcisio.* Sequitur, ut in aliis, *Justinum Tertullianus, qui contra Judaeos disputans capp. II. III. & IV. f. 186. sq. ed. Prior.* semel, iterumque, ac saepius, monet, *Circumcisionem datam fuisse Israel in signum, unde dignosci possit inter gentes.* Eandem prope in sententiam *Gregorius Nyssenus in Testim. de adv. Dom. in carne c. Jud. T. I. OO. f. 939. edit. Paris.* Propterea quod in gentes populus immisceretur, & consuetudinem cum eis commerciumque iniret, *Circumcisio data fuit.* - - NB. uttanquam septum quoddam ab reliquis hominibus eos Lex separaret. *Isidorus Pelusota L. II. Ep. num. CXV. f. 174. ed. Paris.* ἡ περιτομή, inquit, σημεῖον δέδοται αὐτοῖς πρὸς τὸ μὴ ἐπιμιγνύσθαι τοῖς ἔθνεσιν. Idem de Circumcisione statuunt *Cyrillus, Theodoretus, Chrysostomus, hujusque Epitomaetes, Theophylactus, Jo. Damascenus, e Graecis: e Latinis, post Tertullianum, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alii.* Imo vero, gentiles ipsi Circumcisionem agnoverunt characterem, & notam populi Judaici, unde, *Tacitus Hist. L. V. c. 5.* ait: *Circumcidere gentilia instituerunt,* NB. ut diversitate noscantur. Quicquid vero character, & nota esse debet, id proprium rei sit oportet. *Communia enim non norant, vel insigniunt quicquam, aut unum ab altero distinguunt, sed propria distinguunt.*

## ASSERTIO VII.

Fuit quoque unicum initiationis sub veteri foedere Sacramentum.

§. I. Sacramentum est actio sollemnis, divinitus instituta, qua Deum rem caelestem, verbo institutionis promissam, mediante visibili elemento, omnibus Sacramento utentibus vere exhibet, fidelibus autem salutariter applicat.

§. II.



§. II. Hanc Sacramenti descriptionem ad *Circumcisionem* egregie quadrare, facile parebit, si verba institutionis *Gen. XVII, 10. & Exod. XIII, 13.* recte tum explicentur, tum applicentur. Conferatur interim *B. Dannh. in Mysteriol. Cap. de Circumcisione*, imprimis, *B. Seb. Schmid. pec. tract. de hoc argumento.*

§. III. Uti vero duo erant V. T. Sacramenta, alterum *initiationis*, alterum *confirmationis*, quod & ostendit Apostolus *1. Cor. X, 2.* & salvandorum conditioni responderet; ita Circumcisio, *per se*, & ordinarie, ad *initiationem* spectabat, utut de cetero non negemus, adultis etiam ad *confirmationem*, in religione, cessasse.

§. IV. Quid fuerint *initia* Veterum, disputant literatores. Nobis *initiatio est hominis in societatem sacrorum, vere divinorum, receptio.* Etsi autem hujusmodi receptio semper est cum quadam *expiatione* conjuncta, non tamen ab *expiatione* ad *initiationem* est concludendum, quandoquidem *expiatio* etiam in *confirmatione* locum habet, & fieri potest, ut qui pridem in societatem sacrorum receptus fuit, nihilominus *expiatione*, per sacra, indigeat.

§. V. Hujusmodi vero in societatem sacrorum receptio fiebat olim per *Circumcisionem*, quod & pueri per eandem recipiebantur in foedus gratiae *Gen. XVII, 10.* & ex adultis nemo exterus, utut de cetero inter Israelitas habitaret, ac de illorum sacris reverenter sentiret, ad manducationem Paschatos ante admittebatur, quam fuerat circumcisus *Ex. XII, 48.*

§. VI. *Cl. D. Danzius* etiam per *lotionem* *Ex. XIX, 10.* imperatam, Israelitas originarios initiatos fuisse, scribit in *Dissert. de B. Profet. §. 93.* ideo, quod t. t. Deus cum iisdem *novum* quoddam foedus pepigisse in Psalmis, & Prophetiis, legatur. Nos autem omnino negamus, novum quoddam foedus, proprie sic dictum, t. t. conditum fuisse. *Prius* foedus *novis ritibus*, ac ceremoniis involvit, ac novo quasi schemate investivit, DEUS: novum non condidit. Imperatus etiam t. t. Baptismus non ad *initiationem*, sed *Leviticam purgationem*, ac debitam *preparationem*, vergere debebat. Confer. si placet, *Dissertatio de Bapt. Christi. origine mere divina Cap. I. §. 3.*

§. VII. Contendimus igitur, *Circumcisionem* in V. T. non modo *initiationis*, sed *unicum* quoque *initiationis* Sacramentum fuisse, nefasque putamus, eo sententiae prolabi, quod Israelitae originarii, *prae-ter Circumcisionem*, etiam peculiari *baptismate* initiati sint sacris.

Initia

Initia spectant ad *singulos*. Illum vero Baptismum Sinaiticum vel repetitum, & singulis applicatum, vel repetendum fuisse, non legimus. Sequeretur etiam, Baptismum Christianorum non in locum Circumcisionis, quod affirmat Apostolus *Col. II, 17*. Sed Sinaitica locutionis successisse, quod oppido falsum est. Metuenda quoque foret *utriusque Testamenti Confusio*, si utrobique homines *per Baptismum* sacris initiati fuissent. Postremo Baptismum *ininitiationis* non obscure Scriptura *Pf. XIX, 10. Ez. XXXVI, 25. Zach. XIII, 1*. Novi Test. temporibus reservat. Sub Veteri ergo *coedere* habere locum non potuit.

#### ASSERTIO VIII.

In locum vero Circumcisionis Baptismus Christianorum successit.


§. I. **N**egat hoc ipsum *Ant. van Dalen* in *Hist. Bapt. f. 342. 350. 382*, *Primi ex Judæis Christiani*, ait, qui etiam Circumcisionem continuari volebant, — de tali successione Baptismi ne somniasse quidem videntur &c.

§. II. Verum conceptis hoc verbis tradit Apostolus, *Col. II, 11*. *Circumcisi*, inquit, *estis circumcissione, quæ fit sine manibus, dum exiistis corpus peccatorum carnis per Circumcisionem Christi, conspulti simul in eo per Baptismum.*

§. III. Objicit *Dalenius l. c. p. 383.* in *V. T.* fuisse Circumcisionem geminam: *Carnalem, & Spiritualem.* Cum hac Paulum comparare Baptismum, non cum *illa*. Sed enim *Spiritualis* Circumcisio nihil est aliud, quam ipsa *penitentia*, qua cum, de jure, semper conjungi Circumcisio *carnalis, & externa*, debebat. Aliud vero est *penitentia*, aliud *Baptismus*, nec, salva veritate, commode dici poterit, hunc in illius successisse locum. *Πρώτον ψεύδεται* est, quod *p. 350.* Circumcisionem carnalem *nullam penitentiam, nullam regenerationem exegisse docet*, quod multo falsissimum est.

§. IV. Veteris alioqui Ecclesiæ Doctores, *Cyrillus, Gregorii, Augustinus*, reliqui, sententiam nostram magno consensu roborant. Finimus igitur ipsius *Dalenii* verbis *l. c. pag. 382.* *Loquuntur Pares de Circumcisione, ut Baptismi Christiani typo, ac figura; ut in cujus locum Christianorum Baptismus successerit: at nullibi Baptismum Profelytorum se cognovisse, nedum agnovisse, ostendunt.*

S. D. G.





Th 1379

ULB Halle 3  
002 422 239




56,

M. C.







Q. D. B. V. I! 10 22

NONNULLA  
DE  
**CIRCUMCISIONE  
SEGMENTA,**

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE, ATQVE DOMINO,  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
ELECTORAT. SAXON. HEREDE, ETC. ETC.

*PRAESIDE*  
**GOTTLIEB VVERNSDORFIO,**  
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. TEMPLO  
CATHEDR. O.O. SS. PRÆPOSITO, ET ALVMN.  
SAXO-ELECTOR. EPHORO,

IPSI NONIS JANUARIIS A. R. S.  
c1o 1o C C XI.

*E DIVI LVTHERI CATHEDRA*  
AD DISPVTANDUM PROPONET  
**PAULUS JOANNES BUCHHOLTZ,**  
RIGA-LIVONUS.

VITEMBERGAE PELLO C. DESIANO.